

CXXII. *Fridericus March. Misn. villam Mosin, ex legato Alberti Cameraarii de Gnannenstein Monasterio tradit a. 1300.*

In nomine Domini Amen. Cum rerum & actionum eventus, qui ab humana instauratione perficiuntur, cum fluxu temporis elabantur, & memoria hominum ex multiplicata gestorum confluentia ebetetur, Expedi, ut ea, quæ aguntur, signis scripturarum & notulis perhennari, ut sint indicium cognoscendi præsentibus & futuris. Nos igitur *Fridericus* Dei gratia *Misnensis & Orientalis Marchio*, notum esse volumus universis & singulis, tam præsentis, quam futuræ ætatis hominibus omnibus in perpetuum, Quod ob reverentiam Dei omnipotentis suæque genitricis Mariæ, villam *Mosin*, quam *Albertus Camerarius de Gnannenstein* in extremis laborans, pro testamento condidit & legavit monasterio in *Buch* ordinis *Cyfterciensis*, Eidem monasterio eandem villam cum omnibus suis attinentiis, appropriavimus & donavimus cum omni jure, honore, utilitate & libertate, sicut ad nos dinoscitur divoluta. Nolentes prædictum monasterium in bonis villæ memoratæ, cum eam eidem monasterio donaverimus proprietatis titulo perpetuo possidendam, cum omnibus suis attinentiis generaliter, sicut superius est expressum, quomodolibet impediri aliquvaliter aut turbari. In cujus testimonium hanc nostram patentem litteram dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum *Rochlecz*, anno Domini millesimo trescentesimo, quinta feria proxima post diem beati *Lucæ Evangelistæ*. Testes hujus sunt *Albertus dapifer de Burnis*, *Heinricus de Kvnigisvelt*, *Sifridus dictus List*, *Heinricus de Hophgarsten*, *Heinricus dictus de Rochlecz*, *Conradus de Copschicz*, *Heinricus de Vranckenberg*, & plures alii fide digni pro testimonio connotati.

CXXIII. *Bruno Ep. Nuemburg. confirmat permutationem decimarum a Commendatore Altenburgensi & Monasterium factam a. 1301.*

Nos *Bruno* Dei gratia *Nuenburgensis Episcopus* Recognoscimus publice, tenore præsentium litterarum, quod . . . *Commendator & fratres domus Teuthonicæ in Aldenberg*, nostræ dyocesis, de nostra voluntate & consensu permutationem facientes cum domino . . . *Abbate & conventu in Buch, Misnensis dyocesis*, dederunt decimam quandam, quam habebant in tribus mansis in *Liddelo* pro aliis bonis æquivalentibus, diligenti deliberatione & maturo consilio super eo præhabitis inter ipsos. In cujus rei testimonium has conscribi, & nostri sigilli robore jussimus communiri. Datum anno Domini M. CCC. primo, III. Non. Januarii, præsentibus & testibus dno *Johanne de Hanevelt* milite, dno *Arnoldo*, Capellano nostro, *Alberto de Storkowe*, & *Johanne de Gozirstete*, nostræ Curie notariis, *Juvene de Crimatschowe*, *Conrado Pygowen*, & pluribus aliis fide dignis.

CXXIV. *Hugo de Wolkenberg concordiam cum Monasterio init a 1302.*

Nos *Hugo* dictus *de Wolkenberg* notificamus omnibus præsentibus litteras inspecturis, quod dominus *Abbas de Buch* & suus conventus nobis in quatuor marcis, quas nobis promiserant, ut ab impetitione villæ dictæ *Nuwenbain* cessarem, plenarieresponderunt. Ita, quod ultimam partem pecuniæ, hoc est, marcam cum dimidia nobis in domo plebani in *Rocheliz* præsentarunt. Insuper ut magis eorum effemur beneplacitis alligati, marcam dimidiam addiderunt, præsentibus hiis testibus, dno *Conrado* notario, dno *Wirico* plebano, *Friscone de Milcove*, *Tymone* advocato, in die Processi & Martiniani. Præterea in eisdem litteris protestamur, quod omnem impetitionem, quam hætenus habuimus super villam dictam *Musin* pure propter Deum, & ob reverentiam gloriosæ genitricis ejus, & ob specialem gratiam, quam habemus ad omnem Conventum in *Buch*, una cum omnibus amicis nostris præsentibus vel futuris, & præcipue cum filio domini nostri *Alberti* quondam *Cameraarii de Gnannenstein* beatæ memoriæ, receptis aduc septem fertonibus a fratribus prædictis totaliter nunc & in perpetuum relaxamus. In cujus rei testimonium & perhennem memoriam præsentem eis scedulam dedimus nostri sigilli proncio confirmatam. Acta sunt hæc anno Domini M. CCC. II. in die S. *Ypoliti* martiris, hiis testibus infra scriptis.

Sigillum *Hugonis de Wolkenberg* v. Tab. II. n. 17.

CXXV. *Herr. Schlegel bona sua prope Belgern Monasterio vendit & his litteris illa Th. Landgr. Thur. resignat. a. 1303.*

Illustri principi *Th. juniore Lantgravio Turingiæ*, nec non domino terræ *Lusatia*, *Henricus Slegil* miles suus fidelis, suæ possibilitatis obsequium semper benivolum & paratum.

Ve.